



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. III. Beatitudo in bonis animæ site non est

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

majora mala, quàm dolor, cùm privent majori bono, nempe vitâ, & rectitudine rationis, atque amicitia Dei. Item error & ignorantia, quæ sunt mala nobilissima potentia, scilicet intellectus, ejusque perfectissimo actui opponuntur, sunt pejora quàm dolor & tristitia, quæ sunt mala partis sensitivæ.

16. Ad secundum, nego etiam Antecedens: delectatio enim ideò appetitur, quia consequitur possessionem boni quod desideratur, vel quia ut suprâ dicebamus, est veluti condimentum boni honesti. Ad probationem in contrarium distinguenda est Major de duplici quiete appetitûs: prima, est ipsa boni possessio; quæ quies dicitur, quia adeptò terminò cessat motus, & mobile quiescit: Secunda verò, est illa delectatio quæ consequitur possessionem boni desiderati, illamque supponit, & quæ etiam à Theologis quies seu fructio appellatur. Si ergo sermo sit de quiete primò modò sumptâ, verum est quòd illa quæritur propter se: secus autem, si loquamur de quiete in secunda acceptione; illa enim non habet ex se appetibilitatem, sed ex possessione boni quod supponit: est autem contra rationem summi boni, quòd habeat appetibilitatem ab alio; unde talis quies, seu delectatio, non potest esse summum bonum, nec subinde hominis fœlicitas.

S. III.

Beatitudo in bonis animæ sita non est.

17. **D**ico tertio: Beatitudo objectiva hominis in bonis animæ non potest consistere: Ita S. Thomas art. 7. ubi sic discurrit. *Bonum quod est ultimus finis, est bonum perfectum, complens boni appetitum: appetitus autem humanus qui est voluntas, est boni universalis; quòdlibet autem bonum inherens ipsi animæ, est bonum participatum... unde impossibile est quòd aliquod eorum sit ultimus finis hominis.*

18. Probatur secundò: Bona animæ, intellectu & voluntate possidenda, sunt scientiæ & virtutes: Sed hæc non possunt reddere hominem totaliter perfectum, ejusque appetitum omnino satiare: Ergo in bonis animæ, beatitudo objectiva hominis nequit consistere. Unde idem S. Doct. opusc. 61. ad sextum gradum charitatis, egregie observat plures esse fontes, ex quibus homines hauriunt, ut sitim animæ, seu naturale sciendi desiderium extinguant, nempe cælum, elementa, plantas, animalia, & alia corpora mixta; è quibus aquas scientiæ hausere Plato, Aristoteles, Democritus, alique antiqui Philosophi, quos Apostolus mundi sapientes appellat. Verum in illis fontibus animæ sitim, ac sciendi desiderium, cuilibet homini naturaliter insitum, extinguere non potuerunt: quia objecta illa creata summum bonum non sunt, nec primam veritatem continent.

19. Confirmatur: Ultima hominis fœlicitas omnem excludit laborem & tristitiam: in addicendis autem scientiis, maximus contingit labor & afflictio spiritus, juxta illud Ecclesiasticus 1. *In multa sapientia, multa est indignatio, & qui addit scientiam, addit laborem:* Ergo in scientiis ultima hominis fœlicitas consistere nequit.

20. Idem dicendum est de virtutibus. Nam ut rectè discurrit S. Thomas 3. contra gentes cap. 34. *Fœlicitas humana non est ad ulteriorem finem ordinabilis, si sit ultima: omnes autem operationes*

*morales sunt ordinabiles ad aliquid aliud. Quod patet ex his quæ inter eas sunt præcipuæ: operationes enim fortitudinis quæ sunt in rebus bellicis, ordinantur ad victoriam & ad pacem; stultum enim esset propter se tantum bellare. Similiter operationes justitiæ, ad servandam pacem inter homines ordinantur, per hoc quod unusquisque quietè quod suum est possidet: & similiter patet in omnibus aliis. Non est igitur in operationibus moralibus ultima hominis fœlicitas. Unde Augustinus lib. 22. de civit. cap. 3. *Premium virtutis erit ipse qui virtutem dedit.* Et tract. de Epicureis & Stoicis cap. 8. *Est virtus animi res laudabilis, prudentia, mala & bona discernens, justitia sua cuique distribuens, temperantia libidines, fortitudo molestias equanimiter sustinens. Magna res, laudabilis res: lauda Stoice quantum potes, sed dic unde habes? Non virtus animi tui te facit beatum; sed qui tibi virtutem dedit, qui tibi velle inspiravit, & posse donavit. Et capite præcedenti: Constitutus (inquit) ante oculos nostros tribus, Epicureo, Stoico, Christiano, interrogemus singulos. Dic Epicuree, quæ res faciat beatum? Respondet: Voluptas corporis. Dic Stoico? Virtus animi. Dic Christiane? Donum Dei. Demum serm. 13. de verbis Apostoli, rursus inter se comparans Epicureorum, Stoicorum, & Christianorum sectam; hæc scribit: Dicebat Epicureus, mihi frui meâ carne bonum est. Dicebat Stoicus, mihi frui meâ mente bonum est. Dicebat Apostolus, mihi autem adhaerere Deo bonum est.**

S. IV.

In nullo bono creato, vera hominis beatitudo consistere potest.

Dico ultimò: In nullo bono creato, sed in solo increato, vera hominis beatitudo consistit. Ita omnes Catholici, speculative saltem definiunt, etsi multi eorum in praxi Epicureis & Mahometanis adherere videantur; ita nimirum voluptatibus corporis addicti, ac si de futuro sæculo nihil cogitantes, in illis solis suam beatitudinem collocarent.

Probatur primò conclusio ex Scriptura: dicit enim Propheta Psal. 15. *Dominus pars hereditatis mee.* Et Psal. 72. *Quid mihi est in calo, & à te quid volui super terram? Et statim: Pars mea Deus in æternum.* Quibus locis nomine partis significatur pars hæreditaria, & tota hæreditas; ut patet ex filio prodigo, qui patri dixit: *Da mihi portionem substantiæ, qua me contingit:* quibus verbis integram suam hæreditatem postulabat. Appellat ergo Regius Propheta Deum, partem suæ hæreditatis: quia cùm ex acervo bonorum omnium, aliqui voluptates, alii divitias, alij honores pro sua parte assumpserint, ille pro se Deum solum, tanquam meliorem partem illius acervi, pro sua tota hæreditate elegit.

Potest etiam secundò probari conclusio ex illo Itæ 55. ubi Spiritus Sanctus à rebus creatis & temporalibus avertit hominem, & ad Deum vocat, sub metaphora aquæ & cibi, quæ à sitientibus & esurientibus expectuntur: *Omnes sitientes (inquit) venite ad aquas, &c. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Quasi dicat, omnem laborem, acquirendæ beatitudinis gratiâ assumptum, frustraneum esse, si beatitudo ex-*